

gratia, Cancrī gradus esset in oriente, initium secundū domus haberet tertium Leo-  
nis, & principium tertiæ tertium Virginis, ac ita de cæteris, sic enim tertius Arietis  
gradus, cardini regio accederet, quod non respondet menti Ptolemæanæ. Nam in-  
itium decimæ domus secundum eum semper accipitur in meridiano circulo, quod  
hinc manifestum redditur, quod significatorem in angulo decimæ existentem dirigi  
iubet per ascensiones rectas, tales scilicet quales in circulo positionis suæ eueniunt.  
Cum itaq; initium decimæ penes meridianum accipiatur, Horoscopus autem in ipso  
horizonte depræhenditur, fieri necesse est, ut ea portio eclipticæ, quæ inter meridia-  
num & horizontem clauditur, uaria magnitudine inueniatur, nunc quidem quadrāti  
æqualis, nunc uero maior eo, & nonnunquam minor, quare tres illæ domus orienta-  
les nunquam distributione trigenaria constare possunt, nisi caput Cancrī aut Capri-  
corni meridianum occupauerit. Dum enim portio illa eclipticæ minor est quadran-  
te, talis trigenaria diuisio deficiet. Dum uero quadrantem excedit, acceptis tribus  
portionibus trigenorum graduum, non nihil supererit, quod nulli domorum accedet.  
Id autem absurdū & perinde quasi impossibile reputatur esse aliquam zodiaci par-  
tem in nullo cœlesti domicilio locatum. Si igitur per trigenariam diuisionem iuxta  
Ptolemæi sententiam, domus distingui oportet, in alio quopiam circulo ea distinctio  
necessario animaduertenda est, cuius scilicet quatuor quadrantes inter meridianum  
& horizontem hinc indeq; depræhendantur, ita ut quadrans orientalis supernus,  
cum ter trigenos gradus habeat, tribus domibus orientalibus & supraterraneis, id  
est decimæ, undecimæ & duodecimæ accommodatur, qui uero deinde sequitur ori-  
entalis subterraneus, tribus domicilijs sequentibus, hoc est primæ, secundæ & tertiæ  
attribuatur, & ita de reliquis suo ordine. Non potest autem aliquis circulus sic, ut di-  
ximus, à meridiano & horizonte secari, nisi per ortum æquinoctialem & occasum,  
id est duos meridiani polos ducatur, cunq; infinitos tales sit intelligere, diu duntaxat  
famosiores inueniuntur, æquinoctialis uidelicet, & circulus uerticalis, qui per ortum  
æquinoctialem & occasum scribitur, quare penes alterum eorum domicilia iuste di-  
stribuentur. Sunt autem qui penes uerticalem præfatum domos cœlestes distingue-  
re solent. Diuisis singulis quadris horizonte & meridiano interclusis per ternas por-  
tiones æquas ductasq; circulis magnis per puncta talium incisionum, & polos cir-  
culi uerticalis prædicti, id est duas concidentias meridiani & hori-ontis. Hanc uiam  
ingreditur Ioannes Gazulus Ragulinus authore campano: quanuis non satis con-  
sulte, pace bona dixerim, uterq; senserit. Cum enim circulus ille uerticalis perinde  
quasi fictus habeatur, & pene nihil in cœlo habeat officij, nisi quod quartas, utriusq;  
hemisphærij tam superni quàm inferni unà cum meridiano determinat, indignus  
utiq; uidetur, cui tanta, tamq; nobilis res innitatur. Accedit quòc domicilia secundū  
hanc distinctionem nimium excrescunt, si ad eclipticam respexerimus. Fieri enim  
necesse est, ut interdum domus aliqua, contineat duo signa integra & dimidium, ut  
in poli elevatione 48. graduum, ascendente principio Gemiorum, ubi uero polus  
borealis 53. gradibus exeritur, tria zodiaci signa integra complectitur. Econtra ue-  
ro aliquando ita angustam inueniri domum contingit, ut uix decem gradus conti-  
neat, quæ res non modo inuisitata, uerumetiam omnino absurda & inconcinnis ap-  
paret. Item Gazulus trahit quandam confirmationem ex Hali Abenragel quarto  
libro, capite septimo, de Atazir, ubi docet inuenire ascensionem signorum promiscuas,  
id est, inter obliquas habitationis & rectas existentes, ita enim Hali dicere solet, &  
habebis ascensiones in undecima domo, item habebis ascensiones in duodecima  
domo &c. Compara igitur ascensiones. Verbi gratia, duodecimæ domus secundum  
Gazulum ad ascensiones quæ eliciuntur per doctrinam Hali abenragel, ut uideas  
quantum discrepent. Item cum tres modi æquandarum domorum sub æquinoctiali  
coincidant, ab æquinoctiali autem recedendo, discrepare incipiant, ille minus proba-  
bilis